



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

XI. Papst Alexander IV. bestätigt das Hospital zum heil. Geist in Salzwedel,
am 11. Januar 1260.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

tium indulgemus, ut generalis tempore interdicti liceat vobis in ecclesia vestra clausis ianuis interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce divina celebrare officia vel facere celebrari, dummodo causam non dederitis interdicto vel id vobis non contingat specialiter interdicti. — — Datum Afirii, tertio nonas Maii, Pontificatus nostri anno decimo.

Danneil's Kirchengeschichte der Stadt Salzwehel S. 3.

XI. Paps Alexander IV. bestätigt das Hospital zum heil. Geist in Salzwehel,
am 11. Januar 1260.

Alexander, Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro hospitalis sancti Spiritus apud Soltwedele ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet teneritatis morsus aut eos a preposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et hospitale sancti Spiritus apud Soltwedele Verdenensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, Inprimis siquidem statuantes, ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati Augustini regulam institutus in eodem hospitali esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem hospitale in presentiarum iuste aut canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante deo poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo prefatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in busco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus; sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumtibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, siue de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laycos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit, sine magistri sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communi literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale latum fuerit interdictum, liceat vobis clausis ianuis exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a diocefano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et amorem sacrosancte Romane sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochie vestre nullus sine assensu diocefani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusque personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus,

ut eorum devotioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut publice usurarii, nullus obstat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra autoritate facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci magistro, vel tuorum quolibet successore, nullus ibi qualibet susceptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres cum consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini regulam providerit eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna impofterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra claufuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus hospitali vestro concessas nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat, prefatum hospitale temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et dioecesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatisque honorisque sui careat dignitate reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sanctissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiat et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniat. Amen. Datum Laterani, per manum magistri Jordani, sancte Romane ecclesie vicecancellarii et notarii, III. ydus Januarii, indictione III, incarnationis Anno MCCLX, pontificatus vero Domini Alexandri, pape quarti, Anno septimo.

Benig. Br. Urk. II, 883.

XII. Markgraf Otto beschenkt das Hospital zum heiligen Geist in Salzwehel mit einem Gute zu Kricheldorf, am 27. März 1263.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Nos Otto, Dei gratia Brandenburgensis Marchio, omnibus in perpetuum. Cum nos, qui in terrenis honoribus sumus constituti, varia prepediant negotia, ne ministeriis congruis vacare possimus, superest, ut de rebus caducis nobis comparemus amicos, quorum precibus adjuti mereamur eterne felicitatis habitaculum introire. Notum igitur facimus univ[er]sis tam presentibus, quam presentium successoribus, quod ob pii favoris meritum utque in nobis cunctarum rerum conditor et creator dominus Jesus Christus sua bona multiplicet